

XIV. RELATORUM UNO MULTIPLICATO, MULTIPLICATUR ET RELIQUUM. Quod effatum ex superiori intelligitur; atque ita a s. Bonaventura explicatur: « Dicendum quod illud verum est de multiplicatione formali, et de eo correlativo, a quo dependet correlativum dependentia essentiali; sed si unum correlativum multiplicatur multiplicatione materiali, non habet veritatem. Sicut est, quando unus homo generat plures filios, et unus magister docet plures discipulos; tunc enim relatio, quae est in ipso, non dependet ab unoquoque eorum, nisi dependentia accidentali, et, desinente uno, salvatur ratio in altero. Unde quando quis generat, post primum filium, alium, non nascitur in eo nova paternitas, sed primae paternitati innascitur novus respectus, quia pater est plurimum, quam prius erat<sup>1</sup> ».

XV. REMOTA RATIONE FORMALI CUIUSCUMQUE REI, TOLLITUR SPECIES<sup>2</sup>.

## S

## DISTINCTIONES

I. SAPIENTIA—SCIENTIA. *Scientia*, ut omnes norunt, est cognitio certa, et evidens rei per propriam causam<sup>3</sup>: *Sapientiae* autem illud proprium est, quod sit cognitio rerum altissimarum, hoc est quae a sensibus valde remotae sunt, per altissimas causas et universalissima principia; quia prima rerum principia expendit, et ab illa ceterae scientiae suorum principiorum confirmationem, et evidentiam mutuatur: « Sapientia considerat altissimas causas; unde convenienter iudicat et ordinat de omnibus, quia iudicium perfectum et universale haberi non potest, nisi per resolutionem ad primas causas. Quare « sapientia est quaedam scientia, in quantum habet id, quod est commune omnibus scientiis, ut scilicet ex principiis con-

<sup>1</sup> In lib. III Sent., Dist. VIII, a. 2, q. 2 ad arg. « Unde, subdit, Christus generatione temporali non acquirit novam filiationem, sed incipit esse filius alterius, scilicet hominis virginis ». Vid. etiam s. Thom., In lib. III Sent., Dist. VIII, q. 1, a. 5, et Quodlibet XI, q. II, a. 4.

<sup>2</sup> Vid. p. 143.

<sup>3</sup> Scientia est stabilis comprehensio per veras ac stabiles rationes deducens ad causae cognitionem; « Clem. Alex., Strom., lib. VI, n. 48. Vid. p. 241.

clusiones demonstret; sed quia habet aliquid proprium supra alias scientias, in quantum scilicet de omnibus iudicat, et non solum quantum ad conclusiones, sed etiam quantum ad prima principia, ideo habet rationem perfectioris virtutis, quam scientia<sup>4</sup> ». Solet etiam *sapientia* latiori sensu intelligi pro quadam intellectuali rectitudine ad bene iudicandum de omnibus rebus, consurgens ex perfecta scientiarum omnium complexione: unde aliquis simpliciter, et absolute *sapiens* denominatur. Aliquando tamen *sapientiae* nomine intelligitur virtus intellectualis in aliquo tantum genere; quo sensu quisquis in sua arte peritus, qui causas et principia rerum eiusdem artis reddere potest *sapiens* appellatur: ita solemus dicere *sapientem architectum, sapientem medicum* etc.

II. SCIENTIA—INTELLIGENTIA<sup>2</sup>.

III. SECUNDARIUM—PRIMARIUM<sup>3</sup>.

IV. SECUNDUM SE—QUOAD NOS. 1<sup>o</sup> Quaedam res dicitur *secundum se* causa alicuius effectus, cum vere causa est, atque realiter ab eodem effectu differt. *Secundum nos*, cum inter eam et effectum, qui ipsi tribuitur, nulla est, realis distinctio, sed ita a nobis concipitur, ac si huius causa esset. E.g., immutabilitas in Deo *secundum nos* est causa ipsius Dei aeternitatis. 2<sup>o</sup> Ea, quae *realiter* inter se differunt, *secundum se*: ea vero, quae *ratione* tantum, *secundum nos* differre dicuntur<sup>4</sup>. 3<sup>o</sup> Aliquae veritates sunt notae *secundum se*, et non *quoad nos*; aliae *secundum se*, et *quoad nos*<sup>5</sup>.

V. SECUNDUM QUOD IPSUM — SECUNDUM ALIUD. Aliquid alicui, *secundum quod ipsum est*, convenire dicitur, quod eius essentiae proprium est, seu, ut ait s. Thomas « quod ipsum non excedit; sicut habere tres angulos duobus rectis aequales non excedit triangulum, de quo praedicatur, sed est eidem convertibile<sup>6</sup> »; *secundum aliud* vero convenit alicui illud, quod per causam extra eius essentiam ipsi convenit, *sicut album homini*<sup>1</sup>. Latiori autem significatione illud, quod *naturaliter* alicui convenit, *secundum*

<sup>1</sup> 1<sup>o</sup> 2<sup>ae</sup>, q. LVII, a. 2 c. « Sapientia pertinet ad intellectum aeternorum »; s. Aug., *De div. quaest. ad Simplician.*, lib. II, q. 2, n. 2.

<sup>2</sup> Vid. *Intelligere—Ratiocinari*, p. 177.—<sup>3</sup> Vid. p. 268.

<sup>4</sup> Vid. p. 135-136.—<sup>5</sup> Vid. p. 222.

<sup>6</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 15, n. 1.—<sup>7</sup> Ibid.

quod ipsum est; illud autem, quod per vires ei superadditas, secundum aliud convenire dicitur. E. g., visio Dei non convenit intellectui creato, secundum quod ipsum, sed secundum lumen gloriae<sup>1</sup>. Vel secundum quod ipsum, idem significat, ac si in se spectetur, secundum aliud, si prout ad aliud ordinem habet. E. g., intellectus humanus, secundum quod ipsum, quodlibet verum naturale intelligere potest, secundum vero quod cum corpore coniungitur, non nisi essentias rerum, quae habent esse in materia<sup>2</sup>; ex quibus ratiocinando et inquirendo<sup>3</sup> ad alia, quae rerum materialium ordinem praetergrediuntur, assurgit.

VI. SECUNDUM QUID—ABSOLUTE. 1<sup>o</sup> Idem significant, ac accommodative—absolute<sup>4</sup>. 2<sup>o</sup> Secundum quid maxime locum habet in comparationibus, ut sic secundum quid idem sit, ac re secundum aliquam sui partem considerata, vel aliquo respectu<sup>5</sup>.

VII. SENIUS—ANTIQUIUS. Senius dicitur de rebus animatis; antiquius autem de inanimatis. E. g., virum viro seniorem dicimus, sed parietem pariete, aut domum domo vetustiore, vel antiquiore<sup>6</sup>.

VIII. SENSUS COMPOSITUS—DIVISUS<sup>7</sup>.

IX. SIGNATE—EXERCITE<sup>8</sup>.

X. SIGNUM DEMONSTRATIVUM — REMEMORATIVUM — PROGNOSTICUM<sup>9</sup>.

XI. SIGNUM PRIUS—POSTERIUS, vel IN SIGNO PRIORI—POSTERIORI. Adhibentur hae voces ad significandam differentiam duorum, quorum unam, licet non sit prius altero natura, idest non habeat naturam completam ante aliud, neque prius tempore, idest non praecedat aliud in existentia, tamen secundum exigentiam ordinis naturalis debet et potest concipi prius alio, quod est hoc ipso posterius. E. g., actus Divini Intellectus et Voluntatis, qui certe non habent prioritatem naturae, aut temporis, non aliter distingui possunt, et debent, nisi prioritatem signi. Hinc s. Thomas: « Quamvis in naturalibus, quorum effectus sunt nobis magis noti quam causae, signum sit id,

<sup>1</sup> Cf p. 219, p. 229, et p. 240.—<sup>2</sup> Vid. p. 240.

<sup>3</sup> Qq. dispp., De Ver., q. I, a. 12 c.—<sup>4</sup> Vid. p. 2.

<sup>5</sup> Vid. p. 219, 229, 240.

<sup>6</sup> Idem discrimen observatum fuit a s. Damasceno, *Dialect.*, c. LIX.

<sup>7</sup> Vid. p. 66-67.—<sup>8</sup> Vid. *Actu signato—exercito*, p. 13-16.

<sup>9</sup> Vid. p. 275.

quod est posterius in natura; tamen de ratione signi proprie accepta non est quod sit prius, vel posterius in natura; sed solummodo quod sit nobis praecognitum<sup>1</sup>.

XII. SIGNUM SENSIBILE — RATIONALE. *Signa sensibilia* sunt illa, quae sensibus oblata memoriam excitant, et quasi monendo ducunt nos in cognitionem alicuius rei. E. g., fumus est signum sensibile ignis. *Signa autem rationalia* dicuntur, quae ratione demonstrant id, cuius sunt signum. Hoc modo viventis motus significat animam; vel quicumque effectus est signum causae; vel « quodcumque notum, in quo aliquid cognoscitur<sup>2</sup> ». Illa *complementia*, haec *demonstrantia* appellari solent.

XIII. SIGNUM SPECULATIVUM — SIGNUM PRACTICUM. *Speculativum* est illud, quod non efficit rem significatam; e. g., oliva respectu pacis. *Practicum* quod efficit id, quod significat; e. g., boreas respectu frigoris. Ita etiam Sacramenta Novae Legis sunt signa *practica* gratiae<sup>3</sup>.

XIV. SIMILITUDO—AEQUALITAS<sup>4</sup>.

XV. SIMPLICITAS METAPHYSICA—PHYSICA—LOGICA. Opponuntur variis compositionum generibus, de quibus alibi diximus<sup>5</sup>.

XVI. SIMPLICITER—PERSONALITER<sup>6</sup>.

XVII. SIMPLICITER—SECUNDUM QUID. « Simpliciter potest accipi dupliciter. Uno modo dicitur, quod nullo alio addito dicitur. Alio modo simpliciter idem est, quod omnino, vel totaliter<sup>7</sup> ». Hinc 1<sup>o</sup> simpliciter aliquid tale esse dicitur, cum ita se habet, nullo alio subintellecto; secundum quid vero, cum, ut ita se habere dici possit, sub aliqua positione accipiendum est. E. g., Deus simpliciter existit, seu nulla facta suppositione; creatura autem, secundum quid, nempe supposita Dei Voluntate. 2<sup>o</sup> Simpliciter sub omni respectu; secundum quid sub quodam tantum respectu rem talem esse significat. E. g.; « id, quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter; quod autem non habet aliquam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid<sup>8</sup>. Hinc etiam « ni-

<sup>1</sup> Qq. dispp., De Ver., q. IX, a. 4 ad 5.—<sup>2</sup> *Ibid.* ad 4.

<sup>3</sup> Vid. p. 275.—<sup>4</sup> Vid. p. 13, et p. 297 et 300.

<sup>5</sup> Vid. p. 194.—<sup>6</sup> Vid. *Suppositio simplex—personalis*.

<sup>7</sup> 3, q. L, a. 3 c.—<sup>8</sup> I, q. V, a. 1 c.

hil prohibet aliquid esse secundum quid simplex, in quantum caret aliqua compositione, quod tamen non est omnino simplex; unde ignis, et aqua dicuntur simplicia corpora, in quantum carent compositione, quae est ex contrariis, atque invenitur in mixtis; quorum tamen unum quodque est compositum tum ex partibus quantitatis, tum etiam ex forma et materia <sup>1</sup> ». 3<sup>o</sup> *Simpliciter*, aut *secundum quid*, seu in *sensu accommodo* de quodam subiecto praedicatum enunciat, absque ulla, vel cum aliqua contractione. E. g., substantia cogitans est *simpliciter* spiritualis; homo *secundum quid*, seu in *sensu accommodo*, scilicet quoad corpus, est mortalis. 4<sup>o</sup> « Consideratur aliquid tale simpliciter, prout est secundum seipsum tale. Secundum quid autem, prout dicitur tale secundum respectum ad alterum <sup>2</sup> ». Quo sensu idem significant ac *Absolute* — *Comparative* <sup>3</sup>; vel *Secundum quod ipsum* — *In ordine ad alterum* <sup>4</sup>. 5<sup>o</sup> *Simpliciter* idem significat, ac secundum sui propriam rationem: *secundum quid* idem est, ac secundum aliam rationem. E. g., dicitur aliquid *ens simpliciter* quoad *esse substantiale*; siquidem *ens dicit proprie esse in actu*, ac proinde *secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum*, nempe *secundum esse substantiale*. *Per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundum quid*; sicut esse album significat esse *secundum quid* <sup>5</sup>. Inde iterum patet illud, quod est *ultimo perfectum*, esse bonum *simpliciter*; quia « bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile, et per consequens dicit rationem ultimi <sup>6</sup>. 6<sup>o</sup> *Simpliciter* convenit alicui illud, quod ei convenit *secundum totum*; sin *secundum partem*, dicitur ei convenire *secundum quid*. Hac autem in re illud monet s. Thomas, quod « si aliquid natum sit convenire alicui, secundum totum et partem, si conveniat ei solum secundum partem, dicitur convenire ei secundum quid, et non simpliciter; sicut dicitur Aethiops albus secundum dentes: secus autem est de eo, quod non est natum inesse, nisi secundum partem, sicut aliquis dicitur simpliciter crispus, si habeat capillos crispos <sup>7</sup> ».

<sup>1</sup> *In lib. Boet. De Hebd., lect. I.*

<sup>2</sup> l. q. LXXXII, a. 3 c.—<sup>3</sup> Vid. p. 2.—<sup>4</sup> Vid. p. 331.

<sup>5</sup> l. q. V, a. 1 c.—<sup>6</sup> Ibid.

<sup>7</sup> *Qq. disp., q. un. De Unione Verbi Incarnati, a. 3 c. Cf p. 102.*

XVIII. SIMULTAS TEMPORIS—CONSEQUENTIAE—NATURAE—DIVISIONIS. *Simul tempore* dicuntur ea, quae simul in eodem instanti existunt; e. g., sol et lux existunt *simultate temporis*, itemque *simul tempore* obiectum aliquod videri, et sonus audiri potest. *Si multas consequentiae* est inter ea, quae se mutuo inferunt; ut inter risibile et animal rationale, recte enim dico, est animal rationale, ergo et risibile, et vicissim. *Simultas naturae* est inter ea, quae se mutuo ponunt, et destruunt, sed ita ut neutrum sit causa alterius, ut duplum, et dimidium; nam si duplum est, dimidium quoque est, et contra. Denique *simultas divisionis* est in iis, quae eiusdem generis partes sunt, ut homo, et bellua, quae animal in duas species dividunt.

XIX. SIMULTATE POTENTIAE—POTENTIA SIMULTATIS <sup>1</sup>.

XX. SOLIDUM—PHYSICUM. Enunciari solent de corpore. *Corpus physicum* est compositum quoddam ex materia et forma. Hoc pertinet ad *praedicamentum* substantiae. *Solidum*, vel *mathematicum* est tergimena rei extensio, quae res corporeas metimur. Hoc pertinet ad *praedicamentum* quantitatis <sup>2</sup>.

XXI. SPECIES INTENTIONALIS—LOGICA. *Species logica* est notio, quae essentiam pluribus individuis communem exhibet. Haec autem dici solet *subiicibilis*, quatenus respicit genus superius, sub quo continetur; et *praedicabilis*, quatenus respicit inferiora individua, de quibus praedicatur. Patet autem speciem primo modo non esse aliquid universale, quia respicit unum tantum, cui subiicitur, et habet rationem partis. Insuper *species logica* alia est *media*, quae nempe ita est species, ut possit esse genus. Alia est *infima*, seu *specialissima*, quae nempe ita est species, ut nequeat esse genus. E. g., animal est *species media*, quia, si referatur ad corpus, est species; si ad hominem, est genus. Homo autem est *species specialissima*, quia proxime attingit individua. *Species intentionalis* est quaedam imago obiecti, per quam ipsum cum potentia cognitrice coniungitur, et ab ea attingitur. « Nomen speciei, ait s. Bonaventura, importat similitudinem, et importat cognoscendi rationem <sup>3</sup> ».

<sup>1</sup> Vid. p. 264.—<sup>2</sup> Vid. p. 294.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent., Dist. XXXI, p. 2, a. 1, q. 3 resol.*

XXII. SPECIES IMPRESSA — EXPRESSA. *Species impressa* est species intelligibilis, quae elaboratur ab intellectu agente, et ab intellectu possibili recipitur<sup>1</sup>. *Species expressa* est quae ab ipso intellectu possibili ex specie, quam ab intellectu agente excipit, efformatur, ut obiectum ab ea repraesentatum actu cognoscat. Illa est veluti principium, quod intellectum ad cognitionem determinat, et repraesentat obiectum tamquam intelligibile; ista est veluti terminus operationis intellectus<sup>2</sup>; seu est illa, in qua intellectus obiectum veluti actu cognitum sibi repraesentat. *Species expressa* dicitur etiam *verbum*, quia intellectus, dum rem intelligit, veluti intra se loquitur, hoc est, exprimit obiectum, quod intelligit. Hinc *species impressa* sic definitur: « Imago rei, qua mens determinatur ad rem illam cognoscendam; et propterea dicitur principium cognitionis ». *Species vero expressa*: « Conceptus rei, quem mens formatur, dum cognoscit obiectum, et dicitur terminus cognitionis, et verbum mentis ».

XXIII. SPECIFICATIVE — REDUPLICATIVE<sup>3</sup>.

XXIV. SPECIFICATIVUM INTRINSECUM — EXTRINSECUM. *Specificativum intrinsecum* est illud, per quod res constituitur talis. *Extrinsecum* est aliquid positum quidem extrarem, ita tamen ut haec ad illud essentialem ordinem habeat. E. g., obiecta et actus sunt *extrinsecum specificativum* potentiarum<sup>4</sup>.

XXV. SPECULATIVE — PRACTICE. Dicuntur 1° de modo, quo signa rem significatam ostendunt<sup>5</sup>. 2° De modo, quo aliquid consideratur. Illud nempe quod consideratur tantum ut cognoscatur, *speculative*; illud vero, cuius cognitio ad aliquid agendum ordinatur, *practice* spectari dicitur. Unde distinctio intellectus *speculativi* et *practici*, de qua alibi diximus<sup>6</sup>.

XXVI. SUBALTERNANS — SUBALTERNATA. 1° Denotant quamdam affectionem duarum propositionum, quae secum quantitate pugnant. Ex his nempe illa, quae est univer-

<sup>1</sup> Vid. p. 175.

<sup>2</sup> *Qq. dispp., de Pot.*, q. VIII, a. 1 c. De utraque specie loquitur s. Augustinus, *De Trin.*, lib. IX, c. 12; lib. XV, c. 10; et *In Ps. CXXXIX*, n. 15.

<sup>3</sup> Vid. p. 313. — <sup>4</sup> Vid. p. 283.

<sup>5</sup> Vid. p. 333. — <sup>6</sup> Vid. p. 176.

salis, *subalternans*; quae est particularis, *subalternata* audit. 2° Adhibentur ad distinguendas scientias inter se. Scientia nempe, quae desumit sua principia ex conclusionibus superioris scientiae, *subalternata*; superior autem scientia, ex qua inferior sua principia haurit, *subalternans* appellatur. Sic medicinae principia probantur in physica; et musicae principia probantur in arithmetica<sup>1</sup>. Quocirca « ille qui habet scientiam subalternatam, non perfecte attingit ad rationem sciendi, nisi in quantum eius cognitio continuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem. Nihilominus tamen inferior sciens non dicitur de his, quae supponit, habere scientiam, sed de conclusionibus, quae ex principiis suppositis de necessitate concluduntur<sup>2</sup> ».

XXVII. SUBIECTIVE — OBJECTIVE. Diversum omnino sensum hae voces penes Scholasticos exhibent, ac penes recentiores Philosophos. Etenim ab illis dicebatur res *subiective* existere, vel modus *subiective inexistere*, cum utriusque existentia revera est et actu. *Objective* dicebatur de re, quae non aliter est, quam in intellectu cognoscente, seu quae non aliter existit, quam per modum obiecti cogniti. Hinc *ens in potentia*, seu quod actu non existit, quia potest menti cognoscenti observari, dicebatur existere *objective*<sup>3</sup>. Hinc etiam *potentiae obiectivae* nomine significabatur mera rei possibilitas<sup>4</sup>. Hinc denique, quoad actum cognitionis, ipse actus mentis cognoscentis est *subiectivus*, quia revera est in animo; actus autem rei menti observantis est *objectivus*, quia res est in mente non quidem ut in se revera est, sed instar obiecti cogniti. Secundum recentiores autem *subiective* idem ac *idealiter*; *objective* idem ac *realiter* significat.

XXVIII. SUBIECTIVE — TERMINATIVE. Dicuntur 1° de mutatione. Scilicet *subiective* mutari dicitur id, quod est subiectum, circa quod versatur mutatio; e. g., lignum, quod mutatur in ignem: *Terminative* vero id, ratione cuius subiectum mutatur, seu id in quod subiectum mutatur; e. g.,

<sup>1</sup> I, q. I, a. 2 c.

<sup>2</sup> *Qq. dispp., de Ver.*, q. XIV, a. 9 ad 3. Hinc « fidelis potest dici habere scientiam de his, quae concluduntur ex articulis fidei »; *Ibid.*

<sup>3</sup> Vid. p. 135. — <sup>4</sup> Vid. p. 11.

ignis ex ligno productus: « Aliquid dicitur mutari dupliciter: Uno modo, quia est subiectum mutationis, sicut dicimus corpus esse mutabile. . . Alio modo dicitur aliquid mutari, quia secundum ipsum fit mutatio, sicut dicimus albedinem mutari, quia secundum ipsam corpus alteratur <sup>1</sup> ». 2<sup>o</sup> Cum de relationibus sermo est, hae voces idem significant ac *relativum intrinsece*, vel *extrinsece* <sup>2</sup>.

XXIX. SUBIECTUM ATTRIBUTIONIS — PRAEDICATIONIS. *Subiectum attributionis* est illud, de quo proprietas, aut quodlibet aliud enunciatur; ut homo, de quo enunciatur libertas. *Subiectum praedicationis* est illud, de quo aliquid enunciatur ut ipsius essentiam constituens; ut ipse homo, de quo enunciatur esse animal.

XXX. SUBIECTUM INHAESIONIS — ADHAESIONIS — INFORMATIONIS. Dicuntur de rebus, in quibus aliquid est vel *inhaesive*, vel *adhaesive*, vel *informative*. Harum vocum sensum alibi explicavimus <sup>3</sup>.

XXXI. SUBIECTUM INHAESIONIS — DENOMINATIONIS. *Subiectum denominationis* est illud, quod recipit aliquam proprietatem. *Subiectum inhaesionis*, est illud, ex quo ratio illam recipiendi exurgit. E. g., intellectus est in toto homine, tamquam in subiecto *denominationis*; est autem in sola anima, tamquam in subiecto *inhaesionis*. Item, quantitas est in materia tamquam in subiecto *inhaesionis*, in toto composito, tamquam in subiecto *denominationis*.

XXXII. SUBIECTUM IN QUO — DE QUO. *Subiectum in quo* est substantia respectu accidentium, proindeque idem est ac *subiectum inhaesionis*. *Subiectum de quo* est inferius respectu superioris, quod de illo praedicatur; unde dicitur etiam *subiectum praedicationis*, et *attributionis*. Ita Socrates est subiectum hominis, aut animalis. Exinde patet illa distinctio inter *esse in subiecto*, et *dici de subiecto*. Porro *esse in subiecto* pertinet ad subiectum *inhaesionis*; *dici de subiecto* ad subiectum *praedicationis*. Subiectum *in quo*, *physicum*; subiectum *de quo*, *logicum* etiam appellari solet.

XXXIII. SUBSTANTIA — ACCIDENS. *Substantia*, prout constituit primum *praedicamentum*, est ens, cui convenit existere *per se*. « Ratio substantiae intelligitur hoc modo,

<sup>1</sup> *Qq. dispp., De Ver., q. I, a. 6 c.*

<sup>2</sup> *Vid. p. 318. — <sup>3</sup> P. 14.*

quod substantia sit res, cui conveniat esse non in subiecto <sup>1</sup> ». Dicitur, *prout constituit primum praedicamentum*, quia aliquando *substantia* sumitur pro *essentia*: Substantia dupliciter dicitur. Uno enim modo dicitur substantia, prout significat rationem primi praedicamenti. . . Alio modo dicitur substantia illud, quod significat quid in omnibus rebus, sicut dicimus quod definitio significat rei substantiam; et hoc modo quidquid positive dicitur, in quocumque genere sit, substantia est, vel substantiam habet; sic enim substantia pro *essentia* sumitur <sup>2</sup> ». Iam vero, cum pro *essentia* sumitur, vagatur per omnia *praedicamenta*; quodlibet enim praedicamentum est aliqua essentia. *Accidens* contra, prout opponitur categoriae substantiae, est ens, cui convenit existere in alio, seu illud, cuius natura exigit, ut alio fulciatur, ipsique inhaereat <sup>3</sup>. Iam patet substantiae notionem non consistere in eo quod accidentibus substat; siquidem ab hoc substantia denominatur, velut a notiori proprietate, eodem modo quo lapis dicitur a laedendo pedem, sed non essentialiter in hoc sustentaculo constituitur. Qua enim ratione substantia posset accidentia sustentare, nisi esset in seipsa? Quomodo autem notio entis *per se* distinguatur a notione entis *a se*, alibi explicatum est <sup>4</sup>. Insuper *accidentia absoluta* a Peripateticis admissa, uti sunt quantitas, qualitas etc., licet *actu* non existant in alio, tamen non existere *per se*, ideoque non esse substantias, etiam explicatum est <sup>5</sup>. Denique pro sacrae Theologiae tyronibus illud etiam adnotandum censemus: rationem substantiae excludere quidem subiectum, a quo ipsa fulciatur, non vero suppositum, cuius sit, seu personam, a qua terminetur. Hinc natura humana Christi, licet subsistat in Verbo, a quo assumpta est per incarnationem; tamen est substantia, quia non existit in Verbo tamquam subiecto, cui inhaereat, sed quatenus terminatur a Persona Verbi. Neque ex hoc, quod non subsistit per propriam personalitatem, sequitur ipsam non existere *per se*: Ut enim substantia dicitur complete *per se* existens, sufficit ut habeat personalitatem vel sibi *propriam* vel *appropriatam*. Natura au-

<sup>1</sup> *Contr. Gent., lib. I, c. 25.*

<sup>2</sup> *In lib. II Sent., Dist XXXVII, q. I, a. 1 sol.*

<sup>3</sup> *Vid. p. 7, et 25. — <sup>4</sup> P. 255-256 — <sup>5</sup> P. 26.*

tem humana Christi habet *personalitatem* Divinam sibi *appropriatam*, ut haec in omnibus gerat vices *personalitatis* ipsius naturae humanae.

XXXIV. SUBSTANTIA COMPLETA — INCOMPLETA. *Substantia completa* dicitur ea, quae ad alterius substantiae compositionem efficiendam non est nata; cuiusmodi sunt Angelus arbor etc. *Incompleta* est vel ea, quae etsi *in ordine substantiae* omnia habeat, ut *per se*, seu *in se* existere queat, tamen nata est ingredi alterius substantiae compositionem, cum qua coniuncta compositum substantiale efformat; vel ea, quae existere non possunt, nisi cum alio coexistent; ac proinde, ut realiter existant, alio indigent, non quidem uti subiecto *inhaerentiae*, quia non sunt accidentia, sed uti subiecto *coexistentiae*. Prioris generis exemplum est anima humana, quae licet *per se* existere possit, naturaliter tamen ordinatur ad physicam unionem cum corpore, et ad constituendum compositum illud *substantiale*, quod vocatur homo: quocirca anima humana dicitur *substantia incompleta in ratione speciei*, licet integra sit *in ratione substantiae*. Alterius generis exemplum est anima brutorum, quae proinde *incompletae substantiae* dicuntur non solum *in ratione speciei*, sed etiam *in ratione substantiae*, seu *subsistentiae*.

XXXV. SUBSTANTIALE COMPOSITUM — ACCIDENTALE. *Compositum substantiale* est illud, quod ex duabus substantiis incompletis exurgit; puta homo. *Compositum accidentale* est illud quod coalescit ex substantiis completis, ut *acervus lapidum* <sup>1</sup>.

XXXVI. SUBSTANTIA PRIMA — SECUNDA. *Primae* substantiae vocantur individua, ut Petrus etc. *Secundae* substantiae vocantur genera, et species, quia pendent a primis substantiis; universalis enim a singularibus cogitando eliciuntur. Cum autem species propinquior sit singularibus, ideo dicitur *magis substantia*. Porro substantia *prima* neque in subiecto est, neque de aliis enunciatur; sed tantum praedicari potest praedicatione *praeter ordinem* <sup>2</sup>. Substantia *secunda* autem in subiecto non est, sed de subiecto dicitur; ut patet in generibus et speciebus. Monendum autem est cum s. Thoma, « quod cum dividi-

<sup>1</sup> Vid. p. 257, et, *Unum per se — per accidens*, litt. U.

<sup>2</sup> Quid sit praedicatio *praeter ordinem*, vid. p. 267.

tur substantia in primam, et secundam, non est divisio generis in species, cum nihil contineatur sub secunda substantia, quod non sit in prima; sed est divisio generis secundum diversos modos essendi. Nam secunda substantia significat naturam generis secundum se absolutam; prima vero substantia significat eam ut individualiter subsistentem. Unde magis est divisio analogi, quam generis <sup>1</sup> ».

XXXVII. SUCCESSIVA — PERMANENTIA. *Permanentia* dicuntur ea, quae habent omnes suas partes simul, ut terra, caelum, homo. *Successiva*, quorum « una pars non est cum alia parte <sup>2</sup> », quatenus in quodam fluxu consistunt, ut auctio, immutatio, et quilibet motus. Hinc « successio propria est motui <sup>3</sup> »; et successiva « non habent esse, nisi secundum aliquid sui <sup>4</sup> ». *Esse* autem rerum permanentium *secundum se* quidem est *in instanti*, at potest esse *divisibile per accidens*, prout alicui motui subiacet <sup>5</sup>.

XXXVIII. SUPERNATURALITER — NATURALITER <sup>6</sup>.

XXXIX. SUPPONI — SIGNIFICARE — COPULARI. « In quolibet nomine est duo considerare, scilicet id, a quo imponitur nomen, quod dicitur qualitas nominis; et id, cui imponitur, quod dicitur substantia nominis ». Iam « nomen proprie loquendo dicitur *significare* formam, sive qualitatem, a qua imponitur nomen; dicitur vero *supponere* pro eo, cui imponitur <sup>7</sup> ». Et quidem, « id, cui attribuitur nomen, si sit recte sumtum sub re significata per nomen, sicut determinatum sub indeterminato, dicitur *supponi* per nomen; si autem non sit recte sumtum sub re nominis dicitur *copulari* per nomen <sup>8</sup> ». E. g., nomine animalis *significatur* substantia animata sensibilis; homo *supponitur* nomine animalis, quia *homo recte sumitur sub ratione animalis, sicut determinatum sub indeterminato; copulatur* vero nomine albi, quia *sub albo, quod est extra*

<sup>1</sup> Qq. dispp., *De Pot.*, q. IX, a. 2 ad 6.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. II, a. 1 ad 4.

<sup>3</sup> *Contr. Gent.*, lib. II, c. 19.

<sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, loc. cit.

<sup>5</sup> Qq. dispp., *De Pot.*, q. V, a. 1 ad 12. Cf *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. IV, a. 3 sol.—<sup>6</sup> Vid. p. 218.

<sup>7</sup> S. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. VI, q. I, a. 3 sol.

<sup>8</sup> Qq. dispp., *De Pot.*, q. IX, a. 4 c.

*essentiam eius, non directe sumitur* <sup>1</sup>. Iam *suppositio* potest converti in *significationem*. Nam, « quia inferius, quod supponitur per nomen commune, se habet ad commune, sicut determinatum ad indeterminatum, id, quod erat suppositum, fit significatum, determinatione apposita ad commune; animal enim rationale significat hominem <sup>2</sup> ».

XL. SUPPOSITIO — AMPLIATIO — RESTRICTIO — ALIENATIO — APPELLATIO. Sunt variae terminorum, qui in enunciationibus adhibentur, affectiones. *Suppositio* latiori sensu accepta <sup>3</sup> est usurpatio vocis pro suis significationibus. Sicut nempe supputatores utuntur calculis locum morum, ita nos utimur terminis loco eorum, quae per illos significantur. Huiusmodi usus vocatur *suppositio*. Hinc *supponere pro aliquo* idem est ac illud significare. Exinde intelligitur quid sibi velint propositiones *de subiecto non supponente*. Scilicet ad *suppositionem* termini requiritur, ut aliquid designandum termino respondeat; unde sermo esse dicitur *de subiecto non supponente*, si nihil designandum respondeat termino. E. g., si dicam: Adam mihi loquitur, Antichristus fuit, istae propositiones sunt *de subiecto non supponente*, quia ea, quae exprimuntur per terminos *Adam*, et *Antichristus*, vel nulla sunt, tempore quo loquor, vel numquam fuerunt. *Ampliatio* est extensio termini a minori ad maiorem significationem. Ita, cum dicitur: Mites possidebunt terram, vox *mites*, quae vi praedicati *supponit* tantum pro futuris, sumitur tamen pro omnibus, tum futuris, tum praesentibus, tum praeteritis. Qua in re advertit s. Thomas, terminos significantes actum animae *ampliare ad omne tempus*; « sicut cum dicitur: Homo laudatur, potest intelligi de praesenti, praeterito, vel futuro, actus enim animae se extendit etiam ad ea quae non sunt <sup>4</sup> ». *Restrictio* est coarctatio termini a maiori ad minorem significationem, ut in hac propositione: Omnis homo, qui est iustus, spernit mundum; ubi illud subiectum, *homo*, contrahitur, ut pro iustis solum *supponat*. Monente eodem sancto Doctore, restrictio fieri solet etiam per *antonomasiam*; siquidem « secundum con-

<sup>1</sup> Qq. dispp., loc. cit. — <sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> Diximus *latiori sensu accepta*, ut distinguatur ab ea, de qua antea locuti sumus.

<sup>4</sup> In lib. III Sent., Dist. VII, q. III, a. 1 ad 4.

suetudinem humanae locutionis, aliqua nomina communia restringuntur ad ea, quae sub tali communitate continentur, sicut nomen urbis accipitur antonomastice pro Roma <sup>1</sup> ». *Alienatio* est acceptio termini in sensu metaphorico; ac proinde est distractio termini a propria ad impropriam significationem. Ita Pythagoras vocabat iustitiam *sale invitae*, eo quod scelerum corruptionem acri quidem, sed salubri punitione corrigeret. *Appellatio* denique est quidam specialis modus, quo attributum adiungitur, seu *applicatur* subiecto, ita nempe ut illi referatur vel ratione formae, quae per ipsum significatur, ut in hac enunciatione: Medicus sanat, vel tantum quatenus est suppositum, quod illam formam habet, uti in his aliis enunciationibus: Album est dulce, Medicus canit.

XLI. SUPPOSITIO COLLECTIVA — DISTRIBUTIVA <sup>2</sup>.

XLII. SUPPOSITIO CONFUSA — DETERMINATA <sup>3</sup>.

XLIII. SUPPOSITIO FORMALIS — MATERIALIS. *Suppositio* dicitur *materialis*, si in termino ipsa eius ratio spectetur, non vero res per illum significata; ut cum enunciat: Homo est vox. *Formalis*, si consideretur res, quae per terminum significatur, puta: Homo est ratione praeditus <sup>4</sup>. Vel, « formaliter significatur per nomen id, ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis, sicut hoc nomen *homo* significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significatur per nomen illud, in quo talis ratio salvatur; sicut hoc nomen *homo* significat aliquid habens cor, et cerebrum, et huiusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali <sup>5</sup> ».

XLIV. SUPPOSITIO SIMPLEX — PERSONALIS, seu REALIS. Sunt duae species *suppositionis formalis*. Ut clarius huiusmodi distinctio intelligatur, notandum est in voce duas includi posse significationes, alteram scilicet *immediatam*, alteram *mediatam*, prout ipsa aliquid *primario* et *per se*, vel tantum *secundario* significat. E. g., homo *per se et immediate* significat naturam humanam, *secundario* autem *et mediate* significat omnia individua, quae specie humana continentur. E contrario, Plato *per se primo signi-*

<sup>1</sup> 2<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q. CXLI, a. 2 c.

<sup>2</sup> Vid. p. 65. — <sup>3</sup> Vid. p. 68. — <sup>4</sup> Vid. p. 135.

<sup>5</sup> S. Thom., Qq. dispp., De Pot., q. IX, a. 4 c.

ficat individuum naturae humanae; sed *secundario* significat etiam naturam humanam communem, quae in illo individuo consideratur. Item, album *per se primo* significat albiditatem subiecto inhaerentem; *secundario et mediate* significat etiam ipsum subiectum, in quo est albiditudo. Hisce praehabitis, *suppositio* est *simplex*, si vox usurpatur tantum pro sua immediata significatione; est *realis*, seu *personalis*, si pro immediata simul et mediata significatione adhibetur. E. g., in his propositionibus: Homo est species: Album est accidens, homo et album supponunt *simpliciter*; nam homo sumitur pro sola natura humana, non vero pro individuo. Et quidem non recte quis diceret: Petrus est species: Paulus est species: Item album sumitur pro sola albiditudo, non vero pro subiecto. At si dicam: Homo est vivens, *suppositio* est *personalis*; nam homo ibi sumitur pro sua significatione tam immediata, quam mediata, cum vita ingrediatur conceptum tum naturae humanae in communi, tum singulorum individuum<sup>1</sup>.

**XLV. SUPPOSITUM—PERSONA—SUBSISTENTIA.** *Subsistentia* aliquando idem significat, ac *Perseitas*. Consistit nempe in eo, quod ens non pendet ab alio, tamquam a subiecto, cui inhaereat, seu in eo, quo substantia constituitur in *esse* substantiae. « Substantia est subiectum, quod non indiget extrinseco fundamento, in quo sustentetur, sed sustentatur in seipso; et ideo dicitur subsistere, quasi per se, et non in alio existens<sup>2</sup> ». At vero, quoniam in substantia *incompleta*, quippe quae ad totum substantiale componendum ordinatur, *esse in se* non perficitur, nisi in ipso substantiali composito, ideo *subsistentia* intelligitur, quatenus convenit tantum substantiae *completae*; haec enim, cum neque in aliquo, tamquam in subiecto, neque in aliquo, tamquam in toto, sit, absoluta ratione habet *esse per se*; et ideo dicitur *esse sui ipsius*. Itaque *subsistentia* definitur: *Actualitas*, seu perfectio, per quam natura fit sui ipsius et non alterius, seu per quam natura ultimo completur et terminatur, ita ut sit sui iuris, at-

<sup>1</sup> Vid. Goudin, *Phil. tuxta inconcussa, tutissimaque D. Thomae dogmata*, t. I, *Log. mat.*, pars I, a. 3, § 1.

<sup>2</sup> *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 1 c.

que non egeat communicari alteri ad hoc, ut sit, et operetur. Substantia, quae per *subsistentiam* hoc sensu acceptam iam ultimo completa et terminata est, nempe substantia singularis, ultimo completa, et sui iuris effecta, dicitur *suppositum*, si intellectu careat; *persona*, vel *hypostasis*, si sit intelligens.

Exinde explicatur definitio *personae*, quae post Bœtium vulgo in scholis traditur: *Naturae rationalis individua substantia*<sup>1</sup>. Dicitur 1° *substantia*; nam accidentia non subsistunt. 2° *Individua*, nempe tum *logice*, tum *physice*. Dicitur aliquid individuum *logice*, quatenus de aliis minime praedicatur, ut Cicero, Plato, etc. *Physice* autem, quatenus totum quoddam est; qua ratione gutta aquae, quatenus cum Oceano iuncta est, non appellatur individua; separata vero ab Oceano individua dicitur. Iam vero, *persona* est natura individua utroque modo: *Logice* quidem, nam universalis, tum quia in intellectu tantum existunt, tum quia pluribus communia esse possunt, non sunt *personae*. Ita hominis *in communi* nulla persona est, sed Ciceronis, vel Platonis, vel singulorum individuum singulae personae nuncupantur<sup>2</sup>. *Physice* autem, quia substantiae, quae sunt totius compositi partes, puta anima et corpus hominis, non habent propriam *hypostasim*, sed subsistunt in *hypostasi* totius compositi. « Substantia individua, quae ponitur in definitione personae, importat substantiam completam per se subsistentem separatim ab aliis, alioquin manus hominis posset dici persona, cum sit substantia quaedam individua; quia tamen est substantia individua, sicut in alio existens, non potest dici persona<sup>3</sup> ». Quod si duae naturae ita secum uniantur, ut una earum nullam ex unione novam perfectionem adipisci possit, tunc ista retinet *hypostasim* propriam; altera autem amittit in unione propriam *hypostasim*, atque in *hypostasi* perfectionis naturae subsistit. Ita evenit in mysterio Incarnationis. Christi enim natura humana caret propria hypostasi, et

<sup>1</sup> « Persona non dicitur, nisi de individua rationali natura »; s. Ans., *Monol.*, c. 78.

<sup>2</sup> « Essentiae significatio ad aliquid commune videtur pertinere; nomen autem de singularibus hypostasis, quae subsunt huic universalibus, praedicatur ac dicitur »; s. Cyrill. Alex., *De Sanct. Trinit.*, Dial. I.

<sup>3</sup> S. Thom., 3, q. XVI, a. 12 ad 2.



subsistit in Persona Verbi<sup>1</sup>. Ex qua explicatione vocis *individuae*, quae in definitione *personae* adhibetur, sequitur, ut ipsa sit *incommunicabilis*, scilicet, ut sit substantia singularis; insuper ut sit in se *tota*, sive sui iuris, sibi que ipsi propria, et integrum suarum operationum principium; denique ut non possit ita *assumi*, ut *trahatur in personalitatem* alterius<sup>2</sup>. Quae quidem, ut inquit s. Bonaventura, ipsi ethymologiae nominis *personae* respondent; siquidem, « persona dicitur quasi per se unum, per se autem unum proprie dicitur unum, quod est omnino distinctum ab aliis, et in se indistinctum<sup>3</sup> ». At vero, « non est contra rationem personae communicabilitas assumptis<sup>4</sup> »; scilicet nulla repugnantia in eo est, quod Persona Divina humanam naturam assumpsit; nam « persona dicitur incommunicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis praedicari; nihil tamen prohibet plura de persona praedicari. Unde non est contra rationem personae sic communicari, ut subsistat in pluribus naturis<sup>5</sup> ».

3<sup>o</sup> Dicitur *rationalis*, ut distinguatur *persona* a *supposito*; non enim proprie dicimus *personam* equi, aut lapidis, sed *personam* vel *Divinam*, vel *Angelicam*, vel *humanam*. Unde *persona* nihil addit supra *suppositum*, nisi aliquam dignitatem et excellentiam petitam ex natura intellectuali.

XLVI. SUPPOSITALITAS—PERSONALITAS. Ipsa *substantia* in substantiis ratione destitutis, *suppositalitas*, vel simpliciter *subsistentia*, in rationalibus autem *personalitas* proprie vocatur. *Personalitas*, seu generatim *subsistentia*, positiva et negativa dictione exprimi potest. Quemadmodum enim in figura exprimenda interdum positiva dictione utimur, puta cum dicimus eam esse corporis terminum; interdum negante, e. g., cum dicimus eam esse negationem ulterioris extensionis in corpore; ita per *subsistentiam* dicimus rem esse completam; et tunc positiva dictione exprimitur, nam substantiae complementum dicitur; vel per *subsistentiam* negamus aliquid ens esse iuris alieni, seu subsistere in alio velut perfectiori; tumque eam negativa dictione explicamus; est enim, ut ita dicamus, negatio *commu-*

<sup>1</sup> Vid. p. 338-339.

<sup>2</sup> S. Thom., *In lib. III Sent.*, Dist. V, q. II, a. 1 ad 2.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXIII, a. 1, q. 1 *resol.*

<sup>4</sup> S. Thom., *loc. cit.*—<sup>5</sup> 3, q. III, a. 1 ad 2.

*nabilitatis* in substantia. At licet *subsistentia* negative exprimatur, tamen eam in creatis esse aliquid positivum a natura distinctum omnes Thomistae ex communi sententia docent. Scotus e contrario in eam sententiam concedere videtur, quae statuit *subsistentiam* nihil positivum addere naturae. Utrum vero distinguatur ut res a re, an sicut modus a re, inter ipsos Thomistas non convenit. Illud autem omnino certum est, in Deo naturam et *subsistentiam* reipsa non distingui, Deus enim est ipsa Deitas<sup>1</sup>.

XLVII. SYNCATEGOREMATICE — CATEGOREMATICE<sup>2</sup>.

XLVIII. SYNONIMUM NOMEN — HOMONYMUM<sup>3</sup>.

## S

### EFFATA

I. SAPIENTIS EST ORDINARE. Equidem si quis domum bene ordinatam intraret, ex ipsa ordinatione domus, ordinatoris sapientiam colligeret. « Ordinare, inquit s. Thomas, sapientis est. Ordinatio enim aliquorum fieri non potest, nisi per cognitionem habitudinis et proportionis ordinatorum ad invicem, et ad aliquid altius, quod est finis eorum; ordo enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem. Cognoscere autem habitudines, et proportionem aliquorum ad invicem, est solius habentis intellectum; iudicare autem de aliquibus per causam altissimam sapientiae est; et sic oportet quod omnis ordinatio per sapientiam alicuius intelligentis fiat. Unde et in mechanicis ordinatores aedificiorum, sapientes illius artificii dicuntur<sup>4</sup> ».

II. SECUNDUM CONDITIONEM CAUSAE PROXIMAE ATTENDITUR NECESSITAS VEL CONTINGENTIA EFFECTUS. Hoc est: A causa necessaria semper procedit effectus necessarius, cum illa proxima est. Quod si causa suprema sit necessaria, causa proxima autem contingens, tunc effectus potest esse con-

<sup>1</sup> Vid. s. Thom., I, q. III, aa. 3 et 4.

<sup>2</sup> Vid. p. 58, et, *Terminus categorematicus—Syncategorematicus*, litt. T.

<sup>3</sup> Vid. *Aequivoco—Analogico—Univoce*, p. 14.

<sup>4</sup> *Cont. Gent.*, lib. II, c. 24, n. 3.